Quelle: http://manuscripta.at/?ID=26370
Copyright: Admont, Benediktinerstift

seruus dei. consiliarius eiusdem apostolice sedis. Scripta que perlatores ad sancte memorie se
uerinum papam adduxerunt. eo de hac luce migrante: reciprocare responsa ad ea
que postulata fuerant siluerunt. Quibus reseratis. ne diu tante questionis caligo
indiscussa remaneret: repperimus quosdam prouincie uestre contra orthodoxam fidem nouam
ex ueteri heresim renouare conantes. pascha nostrum in quo immolatus est christus. nebulo
sa caligine refutantes. et .xiiii. luna cum hebreis celebrare nitentes. Quod
epistole principio manifeste declaratur. et nuperrime temporibus illis hanc apud
eos heresim exortam. et non totam eorum gentem. sed quosdam in eis hac fuisse implicitos.
Exposita autem ratione paschalis obseruantie. ita de pelagianis in
eadem epistola subdidit. Et hoc quoque cognouimus. quia uirus pelagiane hereseos apud
uos denuo reuiuiscit. quos omnino hortamur ut a uestris mentibus huiusmodi uenena
tum superstitionis facinus auferatur. Nam qualiter ipsa quoque execranda heresis dampnata
est: latere uos non debet. quia non solum per istos .cc. annos abolita est: sed et cot
tidie a nobis perpetuo anathemate sepulta dampnatur. et hortamur ne eorum
arma que combusta sunt. apud uos eorum cineres suscitentur. Nam quis non execretur
superbum eorum conamen et impium. dicentium posse sine peccato hominem existere
ex propria uoluntate: et non ex gratia dei. Et primum quidem blasphemie stultiloquium est
dicere: esse hominem sine peccato. quod omnino non potest nisi unus mediator dei et ho
minum homo christus ihesus. qui sine peccato est conceptus et partus. Nam ceteri homines cum pec
cato originali nascentes. testimonium preuaricationis ade. et si actuali ca
rentes peccato. portare noscuntur. secundum prophetam dicentem. Ecce in iniquita
tibus conceptus sum. et in peccatis peperit me mater mea. XX.

At uero eduinus cum .xvii. annis genti anglorum simul et brittonum
gloriosissime preesset. cum quibus rex et ipse ut diximus a regno mili